

1097

*In Armeniam eunt Christiani, ibique omnia oppida occupant.*

padocia est, citra Euphratem indiscretos terminos a Cilicia ad meridiem habentem, minorem Armeniam: alteram vero, quæ est ultra fluvium, præcipuam terræ partem, quæ Ponticum mare ac Caspium interjacet, sibi vendicantem, majorem nuncupaverunt. Omnia igitur ejus regionis oppida, quia nullo inita erant præsidio, brevi in Gallorum potestatem venere: ea recepta Palmuro cuidam Armeno, viro impigro, qui frequens ad eam diem circa Christiana signa fuerat conspectus, habenda Galli duces permisere. Cappadociam deinde ingressi Cæsaream capiunt: & quia rumor erat, decrevisse hostes totis viribus Antiochiam retinere, apud Socor urbem, paucorum communis religionis opera, qui illic agebant, receptam, tantisper stativa sunt habita, dum in quintum diem milites sibi commeatum expedirent. Inde autem profecti, Sura urbe cum Publicanorum castello atque aliquot oppidulis, quæ Surensis ager habuit, potiti, angustissimo tramite juga Tauri montis aggressi sunt superare. Habuit iter illud, quod unius diei fuit, non minus periculi quam laboris. Erat via angusta admodum, scopolosis hinc jugis subjecta: inde vallem habebat profundissimam, ac tam stupendæ altitudinis, ut illius aspectum spectantes reformidarent. Per hæc loca non sine ingenti ducum sollicitudine die uno traductæ copiæ, cuius viæ partem non parvam necesse fuit pedibus confidere: nullus in tanto exercitu equo sedens ausus est locorum asperitatem superare: sed vestes & alia onera equis imponentes, quanto magis poterant ad discriminosam illam se vim expeditabant. Sic quoque non pauca jumenta cum impedimentis, partim casu, partim eorum consilio, qui ea traduci posse desperabant, in profundam vallem eo die præcipitata dicuntur. Superatis montium angustiis, Murasim urbem ditione facta recipiunt. Hic effusa camporum vastitas secul spectantibus aperuit, cuius prospectus tam longe lateque patebat, ut intuentium oculos fatigaret. His campis propinqua Antiochia cernebatur, ad quam subito oppugnandam omnium ductorum animi inclinabant. Ubi igitur in subjectos campos descensum est, circa flumen quod

*Antiochiam tendunt.*